

RECENS HABITÆ

23

inhibere potest, ac p̄sertim luminosus existēs, Lunæq; p̄ipheriam Soli expositam obtegere. Quod clarius in apposita figura intelligitur, in qua Lunare corpus A. B. C. ab orbe vaporoso circumdatur D. E. G. Oculus vero ex F. ad partes intermediās Lunæ, vt ad A. p̄tingit per vapores D. A. minus profundos; at versus extremam horam, p̄fundiorum copia vaporum E. B. a spectū nostrum suo termino p̄cludit. Signum huius est, q̄ pars Luna lumine perfusa amplioris circumferētia apparet, quam reliquum orbis tenebrosi: atq; hanc eandem causam quispiam forte rationabile existimabit, cur maiores Luna macule nulla ex parte ad extremū vsq; ambitum protendi conspiciantur, cum tamen opinabile sit, nonnullas etiam circa illam reperiri, & conspicuas tamē esse credibile videtur ex eo, quod sub profundiori, ac lucidiori vaporum copia abscondantur.

Esse igitur clariorem Lunæ superficiem tumorib. atq; lacunis vndiquaq; conspersam, ex iam explicatis apparitionibus satis apertum esse reor; superest, vt de illorum magnitudinibus dicamus, demonstrantes terrestres asperitates lunaribus esse longe minores: minores inquam, etiam absolute loquendo, non autē in ratione tantum ad suorum globorum magnitudines, idque sic manifeste declaratur.

Cum s̄pius a me obseruatū sit in aliis atq; aliis Lunæ ad Solem constellationib. vertices nonnullos intra tenebrosam Lunæ partem, licet a termino lucis satis remotos, lumine perfusos apparere; conferens eorum distantiam ad integram Lunæ diametrum, cognoui interstitium hoc vigesimam interdum diametri partem superare. Quo sumto, intelligatur Lunaris globus, cuius maximus circulus C. A. F. centrum vero E. Dimetiēs. C. F. qui ad terræ diametrum est vt duo ad septem; cumq; terrestris diametri, secundū exactiores obseruationes miliaria Italica 7000. cōtineat, erit C. F. 2000.